



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Collegium Universi Juris Canonici**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi, 1693**

Privilegium XXXV. Monasteria gaudent omnibus Privilegiis piarum  
causarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

an in actione quidem bona; Religioso tamen certa ex causa prohibita v. g. peregriandi extra Monasterium, &c. priori casu Religiosus non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente vel per generalem prohibitionem in capitulo irriteretur; altero autem casu obligabitur ad petendam licentiam, quia saltem tenetur ex voto facere quantum in se est. Vid. *Less. de Voto dnb. 10. ubi n. 70.* ait, Superiorem saltem venialiter peccare, si absque rationabili causa irriter votum sui subditi, quod ab utratque sua potestate impediendo promptitudinem ejus ad exhibendum Deo cultum per votum.

PRIVILEGIUM XXXV.

Monasteria gaudent omnibus Privilegijs piarum causarum.

Monasteria esse *pia causas*, quia ad Religionem ad specialem cultum divinum, ad vitam sanctam instituta, per se clarum est, & omnes ubique id asserere testatur Tiraq. *de priv. pia causa. in presat. V. primum igitur.*

Plurima autem Privilegia *piarum causarum* enumerant DD. quorum s. 4. ponit Barb. *I. Ecc. V. lib. 2. c. 13.* & Tiraq. in d. tract. 167. recenset, ex quibus præter hæc tenus dicta aliqua adhuc magis notabilia referemus.

PRIVILEGIUM XXXVI.

Monasteria participant Privilegia fisci, libertatis, militum, alimentorum, dotis, minorennium, & Reipublici modo casus sit applicabilis, & in jure contrarium non sit dispositum.

1. *Redditur ratio extensionis circa singulas istas causas favorabiles.*
2. *Responditur objectioni, quod Privilegia extendenda non sunt.*

Ita præter Eberhardum in *Top. in loco à s. fco ad Ecclesiam, à dote ad Ecclesiam, à militibus ad*

*Ecclesiam, & similibus*, tradit Laurent. de Franch. *de Controv. Reg. p. 2. q. 96.* & ibidem Pasqual. *in addit. Tiraq. in varijs Privilegijs piarum causarum.* Ratio addi potest de singulis.

Si enim *fiscus* propterea est privilegiatus, quia est causa Principis, multò magis idem erit in Ecclesia, cujus causa est Dei, *text. in Titid. Sess. 25. de Refor. c. 1.* ibi *res Ecclesiasticas que Dei sunt &c.* & in eadem *Sess. 25. c. 20.* ibi: *que Ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio secta, &c.* Si *libertas* favorabilis quia eximit à servitute, reddit hominem naturæ, quæ omnes liberos genuit, non minus favorabilis erit Religio, quæ non tantum liberat ex potestate dominica, sed etiam ex captivitate perpetua Diaboli, & facit ut teste Apostolo, *in Christo omnes liberi sumus.*

Si *Militia* favore digna est, quia corporalibus armis tuetur Patriam, tantò magis erit Religio, quæ contra inimicos visibiles & invisibiles armis pugnat spiritualibus, quæ unque temporalibus longè validiora sunt, ut exemplo Moysis docemur, quo orante extensis manibus in monte Horeb, vincebat Populus Israeliticus, eo autem remittente vincebatur, *Exod. 17.* huc quoque refert potest, quod eleganter dicit Laurentius Just. in *opusc. de Monast. Conversi quid aliud*, inquit, esse dicimus *Religiosorum Monasteria & Deo famulantium loca, quam stadia militaria atque spiritualia castra pugnantium, &c.*

Si *alimenta* magnum in Jure favorem habent, quia ad sustentationem corporis necessaria, sane Ecclesia & Religio, quæ conservat animam tantò id sibi magis vindicabit, quantò anima corpori est præstantior juxta illud Christi *Matth. 6. v. 25. nonne anima plus est quam esca.*

Si *Mulierum pupillarum & Minorennium* bona singulariter Jura protegent, quia alienæ curæ commissa multorum sunt captivibus obnoxia, meritò etiam bona Ecclesiæ à legibus protegenda sunt, quia à diversis Officialibus administrantur & multorum invidiæ ac insidiis sunt exposita.

Si deniq; *Reipublicæ* favendum, quia nimirum Res publica aut publica res est, commune bonum concernens, quis audeat Ecclesiæ negare ex ejus precibus & divinis Officialibus doctrina & instructione commuæ fidelium bonum pro-